Fragmentarium

et in loccis que oportuna videbantur inserere. Fortassis enim ille venerandus vir sanctus Willibaldus qui vitam beati Bonifacii in primis scripsit. virtutes eius multas. epistolasque nesciens pretermisit. Sed mihi consideranti litteras omnes quas de eo habetis in nullis causis maior tanti presulis auctoritas. quam in epistolis ab ipso vel ad ipsum directis videtur esse. Ibi namque aptissime inspicitur. quanta veneratione primitus fuerit susceptus a romano pontifice. qualiterque eum ordinatum miserit ad predicandum cunctis germanie populis. quanto etiam labore eandem germaniam ad fidem christi converterit. et quod non solum a paganis et hereticis. sed etiam a pseudo christianis et pravis sacerdotibus eam velut a luporum morsibus eripuerit. quantam gratiam a francorum principibus Karlomanno scilicet et pippino obtinuerit. qui postquam eum ecclesie mogontiacensi presulem decreverunt. eandem que prius alteri ecclesie subdita erat. pro illius amore simul et honore. metropolim toti germanie apostolico pontifice consentiente effecerunt. quot sedes episcopales statuerit. que privilegia quibusdam ecclesiis optinuerit. postremo illud ibi speculatur quod vobis in popye. quomodo corporis sui locum. cenobium videlicet vestrum possessionibus [et] decimis specialibus sublimave[rit]. Tanta igitur auctoritas licet [mo]dernis quibusdam sacerdotibus […]lletur. continget tamen eis in […]monium dampnationis. quod scienter […]nos antiquos. et sanctorum patrum […]eta non debere transgredi. simo[…]e transgrediuntur. obliti ver[…] illorum. que dominus ad electos pasto[res e]t doctores in evangelio dicit. Qui [vos] audit me audit. et qui vos spernit [me sper]nit. Neque enim hec verba de pre[sen]tium temporum rectoribus solum

dicta sunt. sed etiam de illis qui usque ad consummationem seculi ecclesiam sanctam sunt recturi non destructuri. Nam de destructoribus. et perversis pastoribus dominus alibi dicit. Ve vobis legis peritis qui tulistis clavem scientie. et ipsi non introistis. nec alios intrare permisistis. Et iterum. Ve vobis ypocrite. qui decimatis mentam et anetum et ciminum. et graviora legis precepta reliquistis. hoc est iudicium. misericordiam et fidem. Hec oportuit facere. et illa non omittere. Multa quoque in ezechielis prophete scriptis de huiusmodi pastoribus dicuntur. Sed placet interrogem eosdem pastores. quomodo velint sua roborare. si precedentium patrum statuta iudicaverint esse destruenda. ut quomodo edificium suppositum stare possit. si fundamenta eius sunt eicienda. Fundamenta namque sancte ecclesie primi patres fuere. sicut scriptum est. Fundamenta eius in montibus sanctis. Quicumque igitur lapidum suppositorum fundamenta talia sequi dedignatur. de edificio celesti eliminatur. Ad hec etiam dicam quoddam argumentum. quod omnibus constat notum. Siquis itaque ditionis sue silvam extirpandam pagentura aggreditur. quantecumque longitudinis et latitudinis voluerit agros exinde sibimet metitur. alius vero non ea. sed qua vult mensura pertitur. habens potestatem unicuique prout vult dividere. Cumque hoc ita esse ab omnibus sciatur. cur rogo ignoratur. quod primi principes ecclesiarum. apostoli scilicet omnesque qui eorum vestigia sequentes unicuique genti sacram fidem primum tradiderunt extirpatis errorum variorum silvis in quibusdam populis ac provinciis potestatem habuerint possessiones vel decimas que sibi contingebant illi vel illi ecclesie donare. Quandoquidem iuxta sanctorum canonum decreta. decimas in iiii. portiones dividentes. unam sibi alteram clericis terciam pauperibus. quartam restaurandis ecclesiis tradiderunt. Nec […] avaricie sue tantum consulen[tes] […]

License: cc-by-nc – Solothurn, Staatsarchiv, R 1.1.17, 1va – Fulda Legendary
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-8d5q/1590/19803)